

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo atq̄
Excellentissimo*

**D N. P A U L O
H O F F M A N N O,**

**Doct̄ori Theologo celeberrimo,
Ecclesiarum quæ Christo T O R G Æ colliguntur Pastro-
ri & vicinarum Superattendenti meritissimo,
fidelissimo, ut & Rever. Capituli VVurzen-
sis Præposito gravissimo,
&c.**

Ut &

VIRIS

*Nobilissimis, Experientissimo, Consultissimis, Amplis-
simis, Prudentissimis, Spectatissimis*

DNN. CONSULIBUS,
JUDICIBUS,
SYNDICO,
CAMERARIIS,

& reliquis


SENATORIBUS,

Inclytæ Reipublicæ TORGAVIENSIS.

*Dominis, Patronis ac Promotoribus suis
obsequiosè plurimum hono-
randis.*

PATRES
ECCLESIAE ac REIPUBLICAE
VIRI

*Nobilissimi, Plurimum Reverende, Excellen-
tissime, Consultissimi, Experientissime, Am-
plissimi, Prudentissimi, Spectatissimi.*

 Vintam hanc, quam meam facio,
Disputationem, VESTRIS NOMI-
NIBUS dare debui & volui, tum ob
eximium favorem, quo semper profecuti estis
Archi-Diaconum Vestrum *M. FRIDERICUM
SCULTEUM*, Parentem meum venerandum,
qui Vobis & Ecclesiae Vestrae fidei sua opera
amplius inservire, si Deus vitam ipsi concesserit,
indefessus; tum quod ab eo favorem Ve-
strum in me quoque derivastis, meque in eo-
rum numerum recipere, qui in promovendis
studiis Vestra stipendia expectant, non de-
digna-

dignati estis. Hoc tantum beneficium cum
aliter à me compensari non poterit : utendum
est mihi Theocriteâ excusatione.

Qvalia præbet Musa, prout fert nostra fa-
cultas.

Talia dona fero.

Vos Patres Ecclesiæ & Reipublicæ, pro solita
humanitate boni consulatis & benevola fron-
te hoc quicquid studii est suscipiatis. Deus
Ecclesiæ & Rempublicam Vestram in perpe-
tuo flore sinceræ religionis & pacis Clementer
conservet, Vosque omnigenæ felicitatis abun-
dantiâ beet. Valete Patroni Magni.

Dabam Wittebergæ.
d. 28. Jan. 1676.


*Pl. Rev. Dign. A. & Prudentiæ V.
spectatissime*

subject. cliens

M. J. P. Schulze.



B. L. S. D. A. R.



Nnus jam est B. L. cum auctori-
tate Excellentissimi Philologi
SENNERTI Exercitatio Phi-
lologica, cujus inscriptio שבט
יהודי publico Eruditorum, me
Respondente, subjecta fuit ventilationi. Hoc
ipsum Tanti Viri scriptum, incitamentum non
adeò minimum præbuit, accuratæ Philologorum
explicationi, docta Theologorum Summorum de
Vaticinio Jacobæo Gen. 49. com. 10. addere ju-
dicia. Cumque per aliquod temporis spatium
VWittebergam, (partim ob Parentis veneran-
di adversam valetudinem, partim ob alia
quàm plurima obvia impedimenta) relinque-
re coactus; Patriis tamen in edibus, studii in-
dustriam mihi in hoc relictam agnovi, ut li-

A 2


bro,

broſ, quos Bibliotheca Patria poſidet, uſui meo
accommodem. Legi, elegi, collegi; quaeque pro
imbecillitate ingenii collecta proſtant, quaſtio-
nibus paucis, quibus Iudeorum praecipuis opi-
niones oppoſitae, incluſa ſunt. Excipe B. L.
ſtudiorum meorum quaecumque ſpecimen, ſi
bonum, proba, ſin malum, Tuo excellen-
tiori compenſa iudicio. Mihi
verò & ſtudiis meis
faue.



שׁוּב

§. 1.



Præterit tempus, quod Ecclesia piis meditationibus adventui Messia, qui ante mille sexcentos, & quod excurrit annos, ex castâ Virgine natus, adventu suo Politiam Judaicam prorsus abolevit, inchoato regno spirituali, cuius illa quasi præludium fuit, consecrare consuevit. Præterit inquam tempus illud! Natalitia verò festiuitas, quam *γενέθλια τῆ σωτηρίας*, Natales Salvatoris, Nazianzenus; Natalem vitæ, Leo appellat, apud pios nondum finita est, nec fervor pietatis tam citò evanuit. Abiere dies, quas sol hæctenus nobis breves fecit, quæque paucis nobis concessis horulis ad occasum properabant; jam verò crescentibus diebus nostrum indies crescit devotionis, de votivâ Salvatoris nostri nativitate obsequium, quod nobis, in æternum, omni ac quovis die relictum videmus.

§. 2. Hoc ipsum piæ nostræ meditationis studium fundamentum agnoscit ultima Jacobi brevi morituri verba ad omnes filios suos, in quibus non agit de rebus communibus, vulgaribus vel domesticis, nec humano & communi modo differit, sed spiritu Dei plenus, ea profert, ad quæ nemo hominum suo ingenio potuisset pertingere, nedum ut moribundus senex ea potuisset excogitare & enuntiare: ut adeò R. Salomon & alii non habeant, cur Jacobo *ωδὸν φροσύνης & ωδὸν ἀλήθειαν* affingant, l. in Ecclasi eum locutum (quod Pseudoprophetarum esse Eusebius Hist. Eccl. l. 5. c. 17. p. 79. probat) mentiantur; l. Spiritum sanctum, à Jacobo, cum delirio correptus esset recessisse, somnient, qualem somnium Montani fuit Marlo. Expl. Eccl. ad 2. Cor. 11. *ἄλογον καὶ ἀσεβές*. Quam valdè enim talia garrientes correpti sint delirio, nugæ ipsorum testantur contemnendæ.

A 3

§. 3. Quæ-

§. 3. Quæcunqve verò à Jacobo dicuntur verba, sunt totidem oracula, quæ aliunde procedere non potuerunt, quam ab eo, de quo Amos c. 3. v. 8. Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? Hunc authorem summum ipse ex Ethnicis Plato veneratus, (prophetiam in Ecclesiâ DEI esse *κοινωνίαν*, s. conjunctionem, consociationemq; cum DEO dicens;) Nos verò non Ethnicorum persuasionibus informari volumus, sed claram Scripturæ manuductionem, quâ docemur, *κοινωνίαν* hanc fieri, cum credentes fide, s. fiduciâ filii DEI accipiunt Spiritum Sanctum, cujus missio & effusio est donum, sicut Paulus vocat, & contingit credentibus *ἐξ ἀκροῦς πίστεως*, Peuc. de div. p. 640. Et quis pronuntiavit hoc, (ipsa DEI verba sunt, Es. 45. c. 21.) à priscis temporibus ab eo tempore indicavit istud? annon ego Jehovah? E quibus verbis B. Försterus in Esaiam pag. 640 certitudinem oraculorum eruit, per Prophetas editorum, non ex antris obscuris & subterraneis, sicut oracula gentilium, sed propalâ & in luce hominum.

§. 4. Hinc locum illud habet suprâ adductum c. 3. Am. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad Prophetas, quorum verborum vi, hoc ipsum vaticinium quod attinet, Jacobum causam ejus ministerialem dicimus, eiq; aliis Prophetis concessa in explicandis divinis revelationibus privilegia tribuimus, neqve, quod de aliis dici solet, cum ad hoc munus subeundum immediatè à Deo vocatum, & ab utero quasi segregatum, ab ipso removemus. Agnoscebat enim Deus Jacobum in utero Gen. 25. c. 3. data etiam erat Isaac de Jacobo promissio Gen. 26. v. 24. Ego sum Deus Abrahami, Patris tui, ne timeas; Nam ego sum tecum, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum: qui benedictionis modus clariori DEI fundatur promissione Gen. 28. v. 14. Benedicentur in te omnes familiæ terræ, i. e. in semine tuo, quæ promissio Christum certè nasciturum ostendit, uti Lutherus testatur tom. I. G. W. p. 220. & p. 132. ut & t. 3. p. 484. Prostant & aliæ promissiones; Gen. 28. c. 11. 12. & c. Gen. 32. c. 25. Gen. 35. v. 1. 7. 10. & c. è quibus divinum mandatum, à moribundo Jacobo observatum, & hoc tandem vaticinio impletum, facile colligere poterimus.

§. 5. Con-



§. 5. Continet autem res sacras, & piâ meditatione dignas, non tribum tantum, è quâ Christus nasci debuit, sed & tempus adventus Messiae, & in eo Excellentiam personæ & officii Christi. Conf. Musæus in Gen. p. 347. qui longo ordine dignitatem materiæ hujus illustrat. Illustriorem hanc reddunt considerationem Strignizius in Sch. p. 3. & Egardus medullâ Theol. pag. 366. seq. aliiqve, qui materiæ hujus præstantiam ex amico & unanimi consensu Prophetarum, atque adeò plenè satis considerant. Notius verò id ipsum est, quàm ut longâ explicatione ac demonstratione indigeat. Producitur enim amicus consensus in testimoniis partim immediatè ab ipso DEO prolatis, partim verò per DEI servos, ipsos nempe Prophetas, de Messia traditis.

§. 6. In his prolixiorem considerationem supervacaneam judicamus, & movemur sine operis amoris hujus excellentissimi, quòd humanam naturam Messias voluerit induere, nasci & e. hoc; ubi planè plenèq; apprehenditur sincera fide, rapit omnes in stuporem, & ita hoc opus Amoris omnes mortales captivavit, ut se ad pedes DEI abjicerent, Numenq; summum adorarent. Hinc veneramur & exosculamur & nos Messiae adventum in vaticinio Jacobæo, de non auferendo scepro Judah ante adventum Schilo Messiae:

§. 7. Præmittimus non immeritò facilioris explicationis ergo ipsum Textum Originalem è fonte Hebræo:

לֹא יִסֹּר שִׁבְטֹ מִיְהוּדָה וּמִקֶּקֶט מִיּוֹן רַגְלֵי
 עַד כִּי יָבוֹא שִׁילֹחַ וְלוֹ יִקְהַת עַמִּים :

E versione LXX. Interpr.

Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡ γέμνη ἐκ τῶν μη-
 ρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ δακτύλιμα αὐτοῦ. καὶ αὐτὸς προσδοκία
 ἐθνῶν.

E ver-

E versione Ariæ Montani.

Non recedet virga ex Jehudah, & Legislator
de inter pedes ejus, usque quò veniat Siloh, & ei
obedientia populorum.

E versione Junio-Tremelliana.

Non desistet tribus à Jehuda, neque Legis-
lator è medio pedum ejus, usque dum ventu-
rus erit filius ejus, & erit ei obedientia popu-
lorum.

E versione B. LUTHERI.

Es wird das Scepter von Juda nicht entwende-
det werden / noch ein Meister von seinen Füßen/
bis daß der Held komme / und demselben werden
die Völcker anhangen.

§. 8. Ex versionibus his textualibus operæ pretium esset,
Emphasin & genuinam omnium vocabulorum significationem
cognoscere, ut per id eò facilius atque felicius ad ipsius rei intel-
lectum provehi possemus, sed cum Philologiæ disquisitioni aptior
hæc sit explicatio, quæ literalis est & verbalis, nos in eâ persequen-
da non adeò erimus solliciti, aliquo modo tantum ἀνάλυσιν &
resolutionem verborum attingentes. Primum hæc inter vocabu-
la est נל. Quod vel cum Vau נל & quidem juxta Masoretas
in triginta quinque locis scribitur, vel pro נל, לו quod in duo-
bus tantum locis 1. Sam. II, 16. & c. XX. observatur, vel pro לו ei
ipsi נל & quidem in quindecim (imò pluribus locis) legitur.
De quibus Excell. Senn. tract. שבט יהודה Lexicog. Pagn. Münst.
Schindl. Aven. & c. & c. commendat. Est aliàs adverbium negandi,
hancq;

hancq; suam retinet significationem, quando cum verbis prohibendi & negandi construitur.

§. 9. Adverbium hoc insequitur יסור, pro quo & יסר 2 Reg. IV. 8. 3. persona est fut. gen. masc. Kal, & radicem agnoscit סור sive סר cesit, discesit, recessit, divertit, declinavit, defecit, deflexit, translatus & ablati fuit. Cum hoc quoad antequam conferre nonnulli volunt סרר refractarius fuit, aversus est, quod jam non examinabimus, majorem vocis שבט intuentes ambiguitatem.

§. 10. Varias hujus vocis שבט ambiguitates, quæ Interpretes in varias traxerunt sententias, inter alios Rivetus l. d. miratur. Mirantur & alii, qui ex propria significatione vocabuli hujus, dum virgam, s. baculum significat, pro virga sceptrum regium accipi volunt. Sed non est quod miremur, inquit Helvicus viad. Vatic. Jacob. baculum, s. virgam, pro sceptro Regio accipi, si intueris hodiernos reges, quorum sceptra sunt ex auro & argento. Recurrit hinc ad antiquitatem, & remonstrat vestigia in vetustis Scriptoribus, antiquitus gestata fuisse sceptra lignea, in sylvis nata, aureis tamen clavis transfixa, quæ apud Homerum Achillis dicitur, & apud Virgilium Regis Latini &c. Huic significationi adduntur vel novem adhuc aliæ: denotare dicitur synecdochicè sceptrum; regnum, sive potestatem; reges ipsos, sive magistratus, penes quos regimen; subditos; raro tamen per ἄντιφερον. Tribum, familiam; Plagam, percussionem & castigationem; Tulum s. hastam; & denique stylum, sive calamum scriptorium, ex furculo factum, aut eidem simile quid. Ex his omnibus atque singulis sceptri explicatio obtinet, dum sceptrum pro principatu, regiâq; autoritate, quæ tribui Judæ præ reliquis promittebatur, sumitur.

§. 11. Devolvimur ad denominationem Judæ voce מיהורה quod nomen cum præpositione præfixâ מן (ex & à) deducitur à rad. ירה in Kal jecit, projecit, & in tertiâ Hiphil, metaphoricè quidem, confessus est, celebravit, laudavit, gratias egit; quasi dicas projecit, emisit vocem liberè, & exultabundus, vel quod B. Waltherus Exerc. Bibl. ad h. l. quasi celebrationis filius dicitur. Hoc ipsum nomen, & h. l. quidem, à plurimis in alium sensum

B

tor-

torquetur, dum quamplurimi (quos inter Pererius, Casaubonus, Corn. à Lap. Cunæus, & alii habentur) ad totum populum Judæicum extendunt, minus tamen convenientia. Constat equidem signari nomine hoc primariò Jacobi filium quartogenitum, secundariò etiam Tribum, regnum, & totum populum; quod patet è tribus Targumim Onkeli, Jonathæ, & Hierosolym. quin imò ex interpr. 70. de quo Walth. l.c. vid. patet. Nos tamen, de Judæa, (de quo dicitur, tu tu es, te te laudabunt fratres tui &c.) non auferetur sceptrum, intelligimus.

§. 12. **מחוקק** remotâ conjunctione copulativâ consideratum participium dicitur verbi **חקק**, quod significat simpliciter scribere, pingere, exarare, vel cum autoritate decernere, statuere, mandare. Priorem significationem arripit Abben Esra, & exponit: qui scribit in libro, & postea accommodat phrasin, de inter pedes ejus, aitque, consuetudinem esse, ut scribæ sedeant ad pedes Principum. Hanc consuetudinem quidem Viri summi non rejiciunt, maximè tamen Aben Esræ sententiam, & in hoc favent R. Salomoni, qui pleniorè habet explicationem hanc; juxta quem sunt Principes, & discipuli terræ Israël. Vid. B. D. Jacob. Martini disp. 2. de Mesîâ. th. 75. & 78. qui vult, ut **מחוקק** de ejusmodi Scriba intelligatur, qui legem doceat.

§. 13. **מבין רגליו** de inter pedes ejus. Patet hîc Scripturæ & Lingvæ sacræ *εὐφροσύνη*. Hâc enim honestâ loqvendi formâ scriptura describit locum virilitatis. **רגליו** enim quod concernit, si genuinam ejus intuemur considerationem, pedem, crus, synecd. pudendum genitale, femur, & quicquid infra alvum significat, quo sensu Deut. 28. v. 57. Es. 7. v. 20. c. 36. 12. usurpatur. Hinc Græcus etiam interpr. accipit de generatione, quòd videlicet de inter pedes ejus idem sit, ac: ex lumbis & profapia Judæ nunquam deficere debet oriundus Legislator, quo in sensu Paraphrastæ etiam reliqui omnes fermè sumunt. **מבין** verò particula dicitur, & quidem geminata præpositio, una **מ** de, ex, altera **בין**, quæ aliàs absolutè est **בין** inter, intra, in, & hoc **בין** licèt particula videatur, Ebræis tamen propriè nomen est, pro quo cum Latini non habeant correspondens, coguntur reddere per præpositionem, teste Avenario.

§. 14. Se-



§. 14. Sequitur כִּי עַד usque dum, donec. Voces has, inquit sapius add. Helvicus; Diabolicâ planè malitiâ discerpunt Rabbinî, qui עַד in æternum, & כִּי postquam, exponunt. Multum in hoc R. Bachai tribuit Doctori suo, R. Salomoni, qui dictionem עַד hoc loco vult esse velut לַעַד, quodq; accentus & in vocula עַד arguat, quòd ea non sit protrahenda ad כִּי &c. qualis exinde fluat sensus, inferius videndum erit. Negari quidem non potest, כִּי עַד duas esse particulas adverbiales, quâ significationem, i. e. donec & usque dum, insinuantes tempus: seorsim etiam illa potest esse præpositio, hæc conjunctio, non tamen diversus ille sensus, qui in aliis adhibetur, h. l. applicari jure poterit.

§. 15. יבנה 3. persona sing. fut. Kal. masc. à Rad. יבן, quod notat ire, incedere, venire. יבנה juxta literalem sensum est veniet, sed Rabbinis destruetur, devastabitur, scil. finis Silo, sive finis tabernaculi in Silo, de quibus infra. Depravator hujus vocabuli esse dicitur Bachai, & alii hunc secuti, qui sensum huc attrahunt, qualis in phrasi באהשמש sol venit, i. e. occidit. Ridiculum verò & stolidum illud ipsum habetur; quanquam enim Sol dicatur occidere, tamen id non intelligitur de interitu seu devastatione, quod notissimum est. Et hæc insuper comparatio inepta est, cum significatio hæc, hujus verbi, in figmento sit Rabbinico.

§. 16. Progredimur misis his ad vocem שִׁילָה, quæ vox tot Rabbinis cruces fixit, ut, quicquid artis ac ingenii habuerint, eò adhibuerint. Mirandum sanè hoc arduum Rabbinorum negotium, dum, quæ sole clariora sunt, deliriis obfuscare conantur. Sed infensis utique huic vocabulo sunt Judæi, quod hæc formâ nec in universis Bibliis occurrere videant. Et hoc ipsum non compendiosam polcit interpretationem. Quò magis enim Virorum, in explicandis hisce ambiguitatibus, doctorum scripta percurramus, eò magis ad uberiolem ducimur hujus vocis considerationem. Quidam de quo vid. Riv. adducunt Græcos interpretes vocem שִׁילָה divisisse in duas, & accepisse שׁ pro servili literâ, significante relativum, qui, quæ &c. לַה autem esse notam Dativi, significantem pronomen ei, pro לַה cum Vau.

B. Waltherus formationis hujus singularitatem aliter considerat, & hanc, eruditos in sententiarum divortia abripuisse demonstrat, ut quidam ך habuerint pro literâ servili, quidam pro radicali, quidam acceperint pronominaliter vocem totam, facilio-
 risque certitudinis sex addit derivationes quas d. l. vide. Licet
 verò â quamplurimis magni habeatur hæc vox, sunt tamen aliqui
 etiam, quibus cum Marco Marino in Arca Noæ vel planè ignoti,
 vel nullius significati dicitur, ut Salmeroni in præfat. Tom. 1. in
 N. T. Multum sanè confert ejus consideratio, si vel maximè tan-
 tum Judæorum pravitatem, quam in abnegatione Messiaæ adhi-
 bent intuemur: Varias adducendo vocis hujus significationes,
 fundamentum abnegationis Messiaæ in hoc vocabulo quærent.
 Nos verò è multis interpretationibus optimam hanc ponimus:
 שִׁלּוֹחַ idem esse ac Schiloh, filius secundinæ, Heros felix,
 Messias.

§. 17. Prolixiores, reliqua quod attinet, non erimus, cum
 commodioris sint & facilioris explicationis, quàm ea, quæ ad-
 ducere necesse habuimus. Et hæc poterant pro brevi resolutio-
 ne hujus textus sufficere. Verum quia plenior continuati sce-
 ptri deductio, ex aliis etiam fundamentis desumpta, magnam
 lucem afferre videtur toti huic argumento, in eo erimus solliciti,
 ut quomodo eventus huic oraculo responderit, & quando sce-
 ptrum â Juda ablatum sit? innotescat. Totius enim hujus vatic-
 inii summa in eo quam maximè â nobis collocabitur, ut sce-
 ptrum certò ablatum, & ablato hoc certò Messiam venisse, scia-
 mus, Judæosque, qui vel sceptrum ablatum negant, vel conce-
 dunt, concedendo autem aliò detorquent, eò facilius refute-
 mus; quod quam commode fieri poterit, si quæ nostro studio in-
 serviunt quæstionibus brevissimis includamus. Oritur hinc

QVÆSTIO I.

Quid propriè per sceptrum denotetur?

§. 18. Variis supra adductis significationibus hæc meri-
 tò prævalet, quæ affirmat, per sceptrum metaphoricè & meto-
 nymi-

nymicè intelligi ipsum imperium ac dominium: quam sententiam Renec. Clav. S. S. th. l. 2. c. 17. Orthodoxam dicit. Eandem opinionem retinet Tarnovius, Exerc. l. 2. cl. 1. p. 545. qui variè hætenus de vero sensu vocabuli **דָּבָר** disceptatum fuisse, sententiis hinc & inde magno numero adductis, demonstrat. Inter omnes verò maximè receptam illam, quæ sceptrum, & metonymicè ipsum regnum cum potestate denotatur, assumit. Et hanc nos etiam retinemus. Varia verò hæc erat potestas, respectu varii ordinis Senatorii, & dignitatis ducalis: Aliàs duplex erat; regia & ducalis cum **דְּבָרֵי הַמֶּלֶךְ**. Illam amissam esse, & à tribu hæc in Zidkia recessisse, nonnulli affirmant, & ducalem tantùm Majestatem mansisse, usque ad adventum Messie, in tribu Juda statuunt, & quidem in ducibus & certis ordinibus Senatoriis. Per Duces autem intelligimus, viros primariæ dignitatis & authoritatis, quales erant Chiliarchæ, seu tribuni constituti, tum apud Israëlitas, & ita h. l. tum apud Romanos. Israëlitarum Chiliarchas Duces dictos fuisse constat è Zach. c. 12. v. 5. dicent duces Jehudæ &c. &c. 6. die illo disponam duces Jehudæ. Et hi ipsi intelliguntur etiam Exod. 18. v. 21. per viros strenuos, quos providere debebat Moyses, ut judicent populum. Num. 31. c. 14. per præfectos & Chiliarchas, &c. plura Rav. habet bibl. f. p. 262. & 507. Addimus huic considerationi potestatis, gradus triplicis ordinis senatorii. Primus ordo dicebatur Synedrium minus, cui tres judices primarii præerant. Alter ordo appellabatur Synedrium parvum, quod viginti tribus judicibus constabat; Tertius vocabatur synedrion (quod corruptè synedrin vel sanhedrin vocabant,) & constabat septuaginta duobus, l. ut alii, qui numerum rotundum ponunt, septuaginta senioribus. Penes hos erat suprema potestas, quæ tandem teste Josepho l. 14. c. 18. antiqui penitus sublata & deleta est. Qualem verò accuset vastatorem, ancipitis adhuc est judicii, quod sequentibus quæstionibus notatur.

Estq;

B 3

QVÆ.

QVÆSTIO II.

*An de Juda sceptrum ablatum sit tempore
Saulis?*

§. 19. Senferunt id Judæi, quamvis Helvico non constet, qui è Rabbiniſ de Saule hoc intelligat. Uſitatam hanc Judæorum depravationem Galatinus l. 4. c. 4. & Lutherus tom. 8. G. J. fol. 66. lib. von denen Jüden und ihren Lügen / producut. Nugæ verò ſunt, autoritate ſcripturæ ſacræ rejiciendæ. Quod enim exiſtimant, vocabulum Siloh pro loco Jos. 18. v. 1. 1. Sam. I. v. 3. 9. accipiendum, & de Saule intelligendum eſſe, poſteaquam ipſe in Regem electus, venit ungendus in Silo, ubi Domini erat arca, in quâ ſervabatur unctio quod inquam hæc atque talia exiſtimant, errant. Imò fallunt & falluntur, dum ſceptrum, quod pro quodam primatu accipitur, & eatenus in tribu Juda fuerat, ex ipſâ tribu aut motum fuiſſe, atque ad tribum Benjamin, de qua Saul erat, 1. Sam. 9. v. 1. translatum ajunt. Quam falſum hoc ipſum Judæorum commentum ſit, l. è temeraria & inverſione phraſeos: (Donec veniat Schilo, quaſi ſenſus ſit; donec veniat, qui unctus eſt in Siloh) videri poterit.

Hæc atq; alia, quibus Saulis autoritatem promoveri putant, ad ſcripturam Sacram remittenda ſunt. Conſtat enim ante Saulis electionem arcam Domini jam in Silo in Cariathiarim transportatam fuiſſe; 1. Sam. 4. v. 1. Proinde Saul non Silo, ſed in cariathiarim, ſive Miſpa, unctus fuit. 1. Sam. 10. Conſtat etiam immediatè poſt Saulem, imò ipſo Saule adhuc regnante, Davidem, qui primus ex tribu Juda, Ruth. 1. v. 1. c. 4. 17. ſeqq. regnavit, fuiſſe Regem inſtitutum atque à Samuele Prophetam unctum: quapropter tantum abſuit, ut ſceptrum de tribu Juda defecerit, ut ad iſtam omninò pervenerit 1. Sam. 16. Poſſent alia adhuc addi argumeta, ſed vel unicum hoc ſufficiens agnoſcimus; ante Saulem principatum iſtum penes tribum Judam non fuiſſe: cum Moyſes fuerit de tribu Levi Exod. 3. 5. Joſua autem Ephrataeus Num. 13. v. 9. reliqui judices, exceptis Othoniele &
Abc-

Abefan, qui è familiâ Judæ surrexerunt, Jud. 3. v. 9. 12. v. 8. ex aliis tribubus: & proximè ante Saulem Eli, ejusq; filii ex tribu Leviticâ 1. Sam. 1. v. 1. oriundi ad rerum gubernacula sederint. Qvî itaqve per Samuelem auferri potuit principatus tribui Judæ, qvem eo tempore nondum habuit? Neqve etiam Jeroboami tempore ablatum sceptrum est, qvòd probat

QVÆSTIO III.

Nunquid sceptrum ablatum per Jerobeamum.

§. 20. Detorquet hoc ad Jeroboamum Chaskuni his verbis: Donec veniat Silo; qvia tum divisum fuit regnum, datumqve est Jeroboamo regnum decem tribuum. Et hoc est, qvòd dicitur; donec veniat Silo. Nam scriptum est, & venerunt Silo &c. Argumentum hoc teste D. Franz. Disp. II. de sacrific. thes. 60. ab hodiernis Judæis in maximo habetur pretio, dum ex hoc victoriam sibi certam spondent. Argumentantur autem: Quando venit Schilo, tunc ablatum est sceptrum à Juda. Atqvi tempore separationis decem tribuum venit Schilo, (nimirum Silonites Propheta Achias, qui scissuram illam prædixit, & Jeroboam ipse, qui in Silo fuit unctus) Ergo tunc sceptrum fuit ablatum. Laborat hoc argumentum variè, partim Sophismate ignorationis Elenchi, & ἐπεροζητήσεως, quæ quatuor absurdè pârit terminos, cum Major loqvatur de Schiloh personâ, Minor de Silo loco. Partim multa assumit falsa de factâ unctio-
ne in Silo, de ablatione sceptri à Juda, qvòd penes ipsum nihilominus mansit &c. Exorbitant itaqve Judæi, tum, qvia illa decem tribuum congregatio, quæ Jeroboam Regem constituit, non in Silo, sed in Sichem facta 1. Reg. 12. v. 25. tum, qvia Jacobi vaticinium non agit de profus novo qvòdam Prophetâ, vel Rege, cujus hæctenus nomen & memoriam ab Adamo, usqve ad Jacobi mortem nemo hominum audisset, sed de illo, de quo Deus spem fecerat Patriarchis, ob qvem illi expetebant possessionem

nem terræ benedictæ, quemque suspirabant unicè. Sed faciles in his Judæis erimus, concedentes; Imperio Jeroboami regnum Juda fuisse quidem debilitatum, sed non penitus sublatum: siquidem ex tribu Juda Reges per hæreditariam successionem usque ad Babylonicam captivitatem per aliquot annorum centurias, annos sc. ut quidam existimant, 492. sine intermissione fuerunt. Est igitur intelligenda hîc sceptri quidem fractio, non verò detractio, quæ sub Herodis imperio observatur. Sequitur hanc

QVÆSTIO IV.

An sceptrum sub Herode ablatum sit?

§. 21. Quamplurima adhuc essent Dissidia Judæorum exponenda, quæ sceptrum ablatum non tempore Davidis tantum post devastationem oppidi Silo volunt, sed & alia, quæ Nabuchodonosorem causam hujus ablationis accusant &c. quibus mendaciis Judæi abundant. Nos verò brevitatis studium amplectentes; ultimam cum Marlorato hanc velut catastrophem excidii Judæorum fuisse affirmamus, cum Herodes populum legitimâ gubernatione priyavit. Non verò erimus jam solliciti de Herode, quis & qualis fuerit? sed fidem habemus Sozomeno Hist. Eccles. l. 1. p. 544. qui Jacobum de principatu Herodis agere, asserit; qui Herodes cum natione Idumæus esset, ex Patre, secundum maternam vero originem Arabs, Judaicæ gentis gubernacula à senatu Romano & Augusto Cæsare accepit: Is Tyrannidem stabiliturus, (ob quam ipse etiam senatui summo se sistere coactus fuit) omnem Judæorum potestatem & nomotheticam quidem eò usque in posteris Davidis continuatam, penitus sustulisse & delevisse dicitur, quod Osiand. part. 1. p. 685. testatur. Etsi autem postea rursus ab Herode institutus fuit aliquis senatus, tamen ei prorsus fuit adempta potestas in causis criminalibus, idque approbantibus Romanis, penes quos tùm erat summa rerum. Huc pertinet Augusti moneta cui incusa fuit hæc inscriptio; ex una parte: *Καίσαρ Αὐγούστου*, Cæsar Augustus

stus; ex alterâ parte: Ἰσραήλ ἐκλονείας Captæ Judææ. Ut è moneta quotidiè monerentur se esse sub aliorum jurisdictione. Causam hujus cladis desiderantibus, inservit

QVÆSTIO V.

Quæ causa hujus excidii fuerit?

§. 22. Causa hujus cladis non una saltem poterit adduci. De Herode supra fuit dictum, illum coactum fuisse, se ordinî tertio sistere. Hanc itaque contumeliam ultus, Synedrium hoc magnum, sive Sanhedrim universum, unâ cum Rege Hyrcano, quem Eusebius Hist. Eccles. p. 8. summum Sacerdotem dicit, trucidasse & funditus sustulisse dicitur. Sed alia causa hujus excidii fuit, necessitas sc. quæ juxta prædictionem divinam, id postulabat. Fieri enim oportebat ob certitudinem Adventus Messis, fieri oportebat ob pœnam quæ Judæis de contemptu Messis luenda erat; & denique ut constet, non justitiam & beatitudinem æternam quærendam esse in ceremoniis Leviticis, sed in fide solâ in Christum. Id ipsum ex parte secunda affirmat Lutherus Tom. 7. Jenens. G. in ep. Wider die Sabbather. **Kein Wunder ist's / inquit, daß Gottes Zorn die Jüde zerstöret / weil sie seine Verheißung nicht angenömen.** & dolet vehementer Lutherus Judæorum pertinaciam, connectendo singula membra, quæ ut causæ exitii adducebantur. vid. Tom. 4. J. G. ad c. 5. Zach. p. 287. Hinc totalis eorum ruina! **Denn die Jüden / Lutheri verba sunt, l. c. pag. 239. haben weder Königreich noch Regiment / weder Geistlich / noch Weltlich / sind darzu auch aus dem Lande verstoffen / und durch die Welt zerstreuet. Kurz: da ist weder Scepter / noch Meister.** Perferenda hæc Judæorum esset infelicitas, si tantum, uti ab Hieron. Laur. alleg. p. 841. nominantur, orphani essent propter amissionem regni. Verum enim verò, tanta istorum sunt peccata, ut pro-

C

pter



pter ea hinc & inde dissipati, & ab omni hominum consortio ab-
jecti, imo canibus similes habeantur; Dissipati sunt in sua
conscientiâ, & aliquando, quod maximum est, à Deo abjecti e-
runt. Vid. Lutherus Tom. 3. G. W. p. 82.

§. 23. Quæ cum ita sint, vana & flexiloqua Judæorum
sunt fundamenta, quibus in æternum duraturam potestatem
garrunt: Huc pertinet quod thes. 14. aliquo modo adductum
fuit; Opinio enim Judæorum cavillum quærit in particulâ
ערי vultque eo significari perpetuitatem: proindeque ex va-
ticinio colligit, quod non circa tempora adventus Mesſiæ sce-
ptrum à tribu Juda sit auferendum: sed potius quod post ad-
ventum Mesſiæ Judaicum regnum ac ſceptrum immotum sit
mansurum, nempe qui adventu & potentia sua ita tribui Judæ re-
stituere & assignare debeat Regnum, ut nunquam deficere pos-
sit. Accedit & hoc, quod perpetuitatem in voce hæc exinde ur-
geant, quia promissionem divinam de retinendâ lege, & præpri-
mis תו הלה adducunt. Verum ridentur nugæ ipſorum à
Luthero Tom. 7. J. G. pag. 37. brevissimis distingvente inter
הלה divinum & humanum. Constat insuper æternum id
esse, quod caret principio & fine, improprie, quod initium ha-
buit, sed finem non est habiturum; vel quod & initium habuit,
& finem habiturum est, sed tamen multo jam tempore durat,
vel in longum tempus, aut in certum quoddam & constitutum
tempus duraturum est, quo pacto frequentissime sumitur
הע apud Hebræos. Conf. Rav. part. 1. p. 54. & cum eo Fla-
cius Clav. part. 1. p. 26. & part. 2. p. 146. qui posterior vocem
הע aliquando seculi voce explicari statuit, & probat locu-
tionis esse Scripturarum, ut æternum illud appellent, cujus rei
finis non constituitur, aut non ita fit, ut deinceps non sit faci-
endum, quantum pertinet ad curam, vel potestatem facientis.
Quæ singula, si & huic Judæorum sententiæ applicentur, quod
obtineant, Judæi, nihil habebunt. Faceſſant! Potius nos nunc
gradum protrahemus ad id, cujus κειμήσιον est ablatio ſceptri.
(vid. Pareus in Gen. pag. 2210.) scilicet ad considerationem ad-
ven-

ventus Messiae. Ita enim finis potestatis Judaicae cum adventu Messiae connectitur, ut unum sit certum κριτήριον alterius instantis vel praesentis, ita, ut dominium amissum certo indicet adesse Messiae adventum, seu Messiam venisse: nascitur hinc

QVÆSTIO VI.

An Messias venerit?

§. 24. Sufficiat nobis vel unicum illud Beat. Jac. Martini argumentum; quod tale est: Quando sceptrum ablatum fuerit, statim veniet Messias. Atqui ante annos 1676. tempore Augusti Cæsaris, penitus ablatum fuit sceptrum, & suprema potestas judaica. E. ante annos 1676. tempore Augusti Cæsaris venit Messias. Clara hæc sunt, nec clariori fundamento probanda. Et hoc sanè unicum argumentum, ut apodicticum est, ita solum ad Judæos in conscientia convincendos, nisi prorsus in reprobum sensum dati & obcecati essent, sufficere posset. Sed convincuntur etiam Messiae adventum abnegantes claritate vaticiniorum, eorumque impletione. vid. Hunnius oper. lat. p. 37. Hæc cum efficaciâ & gubernatione omniscii Dei, (qui praesens omnia & praeterita, & praesentia, & futura, necessaria & contingentia ἀθρόως uno cognoscendi actu intelligit & cognoscit) ore vatum divinorum prodeant; Peuc. lib. div. p. 38. certissima & prorsus necessaria, immutabili lege necessitatis, quâ promulgata sunt, existunt. Horum vaticiniorum omnium cum hoc nostrum teste Bucholzero Chron. p. 195. complementum sit, indubitanter de eo affirmamus cum Luthero: **Daß dieser Spruch eine Göttliche Verheißung sey / die nicht lügen mag / und erfüllt muß werden / oder vergieng ehe Himmel und Erde.** Exinde nascitur ελεγχῶς contra Judæos, qui promissum Messiam Christum venisse, praefractè negant, etiamsi pridem completa esse cernant, quæ ejus adventum notant. Tarnov. exerc. pag. 1187. Aut itaque Messias venit, aut non?

nit, cur Judæi tam ob cœcati sunt, ut nolint agnoscere? Si non venit; sequitur Deum mendacia dixisse. (vid. Mus. pag. 348.) quod ne quidem mentis expertus metu blasphemiam in Deum facile affirmabit. Dubitent ergo vel plane negent Judæi, Messiam venisse! Non ignota in abnegatione hæc istorum est temeritas; Cain nesciebat fratrem, inquit Beat. D. Balduinus pass. typ. 9. pag. 386. Judæi verò ignorant Christum; sed videas, pergit, hoc ipsum accidere Judæis, quos si interrogas, ubi sit Messias? non nisi cum asinis rudere sciunt, nescio, & Lutherus Tom. 8. G. I. pag. 70. **Die Jüden möchten lieber leiden / daß dieser Spruch nie geschrieben wäre; denn er thut ihnen das gebrante Leid an / und können nicht vor ihn über.** Supervacanea igitur nostra in adducendis singulis erroribus esset industria, in iisque refutandis cura. Quod enim Martis pullis, inquit Waltherus, militibus, præsidariis, contingit, ut ab uno depulsi præsidio, Arcem & propugnaculum occupent aliud, ex quo hostibus damnum inferant, & suam deinceps defensam eant causam. Id etiam Judæis usu venire comperimus qui suam ejecti statione confestim in parato habent novam, è qua suum erga nos nostrumque Messiam hostilem animum satis virulenter produnt. Pergimus itaque, ad ea quæ de verò Messia ejusque persona & officio nos certiores reddunt; in hoc nobis inservit.

QVÆSTIO VII.

An vox משיח Messia personam denotet?

§. 25. Denotat maximè personam tam Humanitatem, quam Divinitatem; utramque accuratâ vocabuli משיח consideratione

tionem. Quod si enim Radix שׁוֹרֵשׁ observatur filium secundinæ vel secundæ dici volunt Viri Excellentes, quæ sententia etiam retinetur ab illis, qui à שׁוֹרֵשׁ derivant, quod pelliculam, in quâ jacet fœtus in utero materno, significat; & sumitur pro filio, Deuteron. 28. v. 27. 57. Hinc vertunt nonnulli: filius ejus, quod nomen varias divinas agnoscit promissiones, Genes. 3. Esa. 7. Jerem. 31. Jud. 6. Psal. 72. & 110. Ezech. 44. &c. quæ impletæ sunt, teste ipso Spiritu S., Luc. 2. 7. Mariam peperisse filium suum unigenitum, i. e. talem, qui in his terris Patrem non agnovit, sed matris tantum primogenitus sit, & ita filius ejus sc. Mariæ, non ut Piscator effert; ejus sc. masculi. Ut ita filius secundinæ sit filius fœminæ, der Jungfrauen Kind.

§. 26. Latet & in hac voce personæ Deitas, quando significationem habet ejus, qui mittendus erat à שׁוֹרֵשׁ missus. Nam Christus fuit mittendus & prævisus à Moyse Exod. 4. Si itaque est missus: utique ante missionem fuit, & quidem ratione divinitatis. Hinc ante Abrahamum esse dicitur Johann. 8. v. 59. & à missione Angelus magni consilii Esa. 9. Angelus faciei Dei Es. 63. Angelus fœderis Malach. 3. dicitur. Quod cum intellexerint Chaldæi: pro שׁוֹרֵשׁ posuerunt Messiam: qui est DEUS & Homo: Id quod Paulus etiam comprobat, Gal. 4. vers. 4. Excipit hanc quæstionem.

QVÆSTIO VIII.

*An vox שׁוֹרֵשׁ Messia officium
denotet?*

§. 27. Nomen Messia officiale vario modo poterit probari, vel dum Heros, quod Lutherus vertit, der Held/ vel dum pro-

esper, fortunatus, &c. dicitur. Heros est, uti Magnif. Dom. D. Præses refert Homil. Pass. p. 9. qui non timido, sed Heroico Spiritu armatus & roboratus passiones suas aggrediebatur, & semetipsum offerebat; qui mundum, peccatum & Diabolum vicit, qui expoliata imperia ac potestates traduxit palam triumphatis illis in semetipso, Col. 2. 15. Est Salvator felix, prosper, fortunatus, faustus, augustus, qui nos felices & fortunatos reddidit, liberando populum suum à peccatis Matth. 1. quâ libertate nos semper liberos reddidit, Joh. 8. inq; cujus nomine nostra salus est Act. 4. vers. 12. & hic est verus Messias; cujus fundamentum præbet.

QVÆSTIO ULTIMA.

*An CHRISTUS sit משיח & verus
Messias?*

§. 28. Paucis omnia complectimur; argumento sequenti:

Qui è tribu Juda, sceptro potestatis, ac principatus ab eo dempto, est natus; qui est משיח, tam respectu personæ, quàm ratione officii, qui est expectatio gentium: is verus est Messias.

At noster Christus est talis. E.

Quæ cum verissima sint, non ulteriorem expectant probationem. Prodeant Messiaë Judæorum fictitii: prodeat Barchochab! prodeat David Almuffer, R. Lemle & alii; de quibus Gerson part. 2. sui Thalm. c. 9. pag. 494. consulendus. Ediderunt quidem ex parte miracula, sed arte magicâ partim producta, (qualia David Almuf-

Almuffer insignis Magus præstitit;) partim singulari artificio probata; sed vana fuerunt & interierunt, intereuntibus Messias. Barchochab aliàs filius stellæ, factus est Bar-cosba, filius mendacii. David Alroi à proprio socero trucidatus est; Persa quidam, qui se Messiam dicebat, à Rege Persarum tandem decollatus est, & reliqui Judæi auri centenarium exsolvere coacti sunt. Et hoc supplicium aliis etiam fuit. O egregios Messias! O infelices Judæos! qui Messiam insidentem a se non venerari volunt. Luth. tom. 4. G. W. p. 574.

Moses hat ihn nicht also abgemahlet / daß Er ein weltlicher König seyn sollte / sondern ein Lehrer und Prediger / Deut. 18. Futurus enim erat Messias Doctor, & revelaturus veram sententiam de DEO & ejus voluntate, alioqui ignotam humanæ rationi. Et licet insidens a se potestatem suam non conspiciendam dedit, miraculis tamen sese patefecit, doctrinamq; corroboravit; Postea verò etiam ex suâ scholâ discipulos duodecim, & alios 70. misit, qui potestatem Christi doctrinâ & miraculis ab ipso ad eam rem satis instituti, orbi significaverunt. Hoc argumentum Judæos movere deberet, inquit Lutherus tom. 1. G. W. l. d. Movet & nos, hunc verum Messiam agnoscere, qui omnes notas Messiaæ habet, cujusq; adventum Prophetia Jacobi effectum consecuta. Quando enim Herodes, primus eorum, qui alieno sunt ab Israël genere nati, Judaicæ gentis regnum accepit, Prophetia hæc per Moysen scripta impleta est. Euseb. l. 1. c. 6. Hinc Messiam verum promissum ante annos 1676. venis-

nisse, & JESUM nostrum illum esse, cum
B. Gerh. aph. ἀδαμαντίνως con-
cludimus.



Hie



*H*c honor, hoc decus est vestigia clara
Parentis

*Sectari, moriens, vivat ut ipse
Pater.*

*Talia Schulziades studio sectatus alacri,
Quod docet in praesens pagina docta satis.
O Patrem Genito dignum, Genitumq; Parente
Vivente alterutro floret uterq; simul!*

MICHAEL SENNERTUS, D.
h. t. Acad. Rector.

*M*essiam venisse negat perversus Apella,
*Nec JESUM dignè Gens recutita colit.
Hoc tamen evincunt divini oracula Verbi,
Sceptraq; testantur, quæis modò Juda caret.
Vindicet hoc pariter tuus hic labor, inclyte
SCHULZI,*

*Docta q; id ingenii scripta iterata probant.
Sic charum pergas imitari hanc arte Parentem,
Sic Tibi consurget non moriturus Honos.
Gratulor interea, Virtutis commoda multa
Apprecor, & studiis premia digna tuis.*

ABRAHAM CALOVIUS,
Doct.

DE Sceptro Judæ dum differis ore disertus,
Monstras ingenium non latuisse tuum.
Laudo conatus: Dominus Tibi Flammine sacro,
In studiis adsit: Te regat alma Trias!

JOHANNES MEISNERUS, D.

A Blatum sceptrum est! Messias venit! &
inde
Judæus fallit, fallitur iste simul.
Hoc probat ante abitum SCULTETUS, grator;
& addo:

Discedat felix. Annuet Altipotens.

JOHANNES ANDR. QVENSTEDT, D.

Non venisse Dei Messiam, dicit Apella,
Optat & inde sibi semper habere novum.
O spes fallaces sine verbo credere certo,
Quæ sunt scita Dei, verba sacrata ferant.
Nos igitur verum Messiam credimus omnes
Jam venisse suo tempore; Dogma pium.
Hoc Patres veteres, hoc & dixere Prophetae,
Messiæ tempus, signa notare DEI.

D

Jaco.

Jacobus Patriarcha suis dedit inclyta *signa*,
Sceptrum Sublatum, *judiciiq;* *forum*.
Talia *Tu* repetis docte, PRÆCLARE MA-
GISTER,
Atque *Senis Vatis* dicta notanda putas.
Ille beatus erit, qui scit, *mysteria* SCHILO,
Et *Dominum* credit semper eum esse suum.
Hic *Tibi* scrutanti *mysteria* maxima dextrè
Gaudia plena dabit, *Gaudia* plena *Tuis*.
Grandæviq; *Patris* complebit *vota*, *Piorum*
Usibus ut possis invigilare *sacris*.
Hoc *Trias* in cœlis, hoc SCHILO præstet
Jude,
Atque *tuis studiis* dicat ubiqve *benè!*

Clarissimo Dno. M. Respondenti
amoris & honoris ergo
f.

JOHANNES Deutschmann / D.


SCHULZI, de *Judæ* conaris dicere-
Sceptro,
Cujus deplangit mœstus *Apella* decus.

Has

Has animi grator dotes *Patriæq; Tibiq;*,
Et Patriæ atq; Tibi prospera fata precor!

Ita voveo

ANDREAS SENNERTUS, Prof. P.
Acad. Sen.



NUpera de *Judæ* sceptro *Tua* praelia clarent;
Nunc & Theiologis arte moventur ea.
Non ingrata tamen res, quam bis denique
coctam

Apponis doctis. Perge, sequetur honos!

GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS,
Prof. P.



Differis egregio res mentis acumine,
sanctas,
SCHULZI, conatum, Leucoris ipsa
probat!

Hæc ex animo
dabat

J. V.

D 2

Fragmi-

FRagmina gemmantis sceptri, DOCTIS-
SIME, Judæ,
Perscrutaris, erunt præmia scepra Tibi.
Pectore sublimi tantùm sublimia volvis.
Has vertis glebas? Proh Tibi quanta
seges!

J. M. B.

Nunc iterum Cathedram conscendis, Amice
potentem,
Inq̄, abeunt lucem cuncta labore sacro.
Ergò age, perge viam, metam continge, P A-
R ENTIS
Delicium Patriæ deliciumque spes.
Gratulor hos ausus molimina cepta sequan-
tur
Tùm speratus honor, tum peramata quies.

Candor officiosus

M. JOHANNES REICHARDI

Bregâ - Silesii.

Nil



NIL magè Theologiæ Studiosum perficit atq;
Discursus ; rectè *Nomina magna* do-
cent.

His ultrò *noster* consentit SCHULTZIUS,
inde

In sacrâ Cathedrâ jam sua dona probat.
Gratulor hos ausus, benedicat *Numen ab alto*
Porro Tuis studiis, detqve brabéa Tibi!

CASPARIUS SÄTLER,
Torg. Misn.

Sunt equidem multi celebres conamine docto,
Sed sua in obscuro dona latere sinunt.
SCHULZIADES aliter longè sentire videtur,
Dogmata dum multo parta labore probat.
Scilicet in præsens nunc Dissertatio Musis
Tertia Leucoreis non sine laude datur.
De tali grator studio Tibi, *Clare Magister,*
Atqve tuæ Patriæ. Plura det ipse DEUS!

*Clarissimo Dn. M. SCHULZIO, de Sceptro
Judæ feliciter disputanti gratulabundus
scrib.*

GEORGIUS Frißsche / Haynâ-Misn.
SS. Th. Stud.

D 3

Was

Was soll / mein Andern Ich / und werther
Gönner schreiben /

Der ungetauchte Kiel aus Hypocrenens Naß /
Von seinem hohen Fleiß / da man vernimmt
Das

Was dorten Jacob spricht : Mich soll von Gott
nichts treiben /

Das Scepter Juda wird auch unentwendet bleiben /
Bis daß zu Händen kömmt der zweygestaunte
Held /

Der Mensch = Gott / und Gott = Mensch und Hey-
land aller Welt ;

O wohl ein grosses Werck ! Gott lasse es bekleiben

Hier bey uns Sterblichen ! Ihm gebe Glück und
Segen

Der wohlgetreue Gott und setze Ihn dahin /
Wo ists der Alte sitzt. Der Ihn auch hat def-
wegen

Dem Höchsten Gott gelobt. Erfreue Herz und
Sinn

Verleihe Fried und Ruh / daran ist viel gelegen /
Ich selber wünsche Heil / weil ich der Seine bin !

Dieses setzte eilend aus Schuldigkeit
seinen Gönner zu Ehren
auff

Benjamin Siedler /
Mälb. Misn.

Qvis

Quis furor ingenii, quis Te rapit impetus artis?
Virtus assiduo parta labore placet?
Scilicet invicto super alta cacumina Honoris
Contendis nisu: laus venit inde Tibi.
Non satis est nuper de Sceptro tanta Judæ
Philologum doctis differuisse modis?
Materies iterata redit, vice Pulpita trinâ
Scandis, docta facis verbaq; Thejologus.
Perge *Decus Patriæ, Spes ô SCULTETE Parentis*
Currere in incepto tramite: perge bonus.
Sic Tibi consurget Virtutis parta labore
Gloria Philologi, gloria Thejologi.

Hicce

Clarissimo Dn. M. SCULTETO

*paternæ gloriæ heredi felicissimo, Fautori &
Amico suo singulariter honorando
applaudere voluit,
debut.*

*David Ilgen /
Torgensis.*



Res est egregia, & multâ dignissima laude,
Totum animum studiis excoluisse bonis.
Hocce probas iterum docto conamine, FAU-
TOR,
De Sceptro Judæ dum benè verba facis.

Gra-

Gratulor atque precor, summus benedicat

JOVA

Tribuat & studiis premia digna tuis!

Clarissimo DN. Autori, Amico ac Conter-
aneo suo honoratissimo pauca hæc
adjicere voluit

PETRUS PAULUS Hofmann
Torgâ. Miln.

UT latitare nequit diffuso lumine terras
Illustrans Phœbus clarificansque diem;
Sic neq; Tu latitas SCULTETE, Affinis Amande,
Hinc edis Cathedrâ Theologiæ Specimen.
Gratulor ergo, tuus sit felicissimus usque
Conatus, toto pectore & ore precor!
Pergito præfixam porrò decurrere metam
Jova dabit studiis digna brabæa Tuis.

Τῆς εὐνοίας καὶ Φιλίας ἕνεκα

Præclarissimo Dno. Respondenti,

*Affini, olim Condiscipulo, nunc Fautori ac
Amico longè carissimo hæc tenui Mu-
sâ gratulari voluit de-
buit*

Gottfridus Am Ende,

SS. Theol. Stud.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

86

שבת

CO-THEOLOGICA

JUDAH

adventum SCHI-
esfiæ:

LIX. com. 10.

ALI WITTEBERGENSI
DE

*Magnifico, Amplissimo
tissimo,*

E DEUTSCH

ct. celeberrimo; maximè
æ p. t. DECANO, & Electro-
phoro gravissimo
tore ac Præceptore suo
nerando.

Examini subjecit

OR

ILIPPUS Schulze /

s Misn.

LXXVI. in Auditorio Majori

. ad 11.

CKELII, Acad. Typogr.

